



EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

46. 51

SACRVM

Illibato Hymenæo, sanctæ Iugæ,
& Diæ Cinxia.

*In solemnitatem Nuptiarum,
Novis Sponsis*

PRIMARIA GE-
NERIS NOBILITATE, VIR-
TVTVMQVE LAVDE FLOREN-
tissimo viro CHRISTOPHORO IANO
à TAUBENHEIM in Bedra,

ET

NOBILISSIMÆ LECTISSI-
MÆ QVE VIRGINI ANNAE, NOBILISS.
& clarissimi, multarumq; rerum experientia fortissimi viri HENNINGI
à BROSIK in Kitzschir & Ludersberg. Electoral: in Leinin
& Quernsurd præfecti, dilectæ filia,

Positum & dedicatum

à

CHRISTIANO PODENSTEIN
Schnebergensi IV. Non Marti, Anno

M. D. XCIII,



LIPSIÆ

Ex Officina Typographica
Iohannis Beyeri,







*Vesper adest, Iuuenes, consurgite: vesper amo-
res*

Spirat, successusq; nouis successibus addit.

*Iam compressa fames epulis: iam surgere
tempus:*

*Iam veniet virgo: venietq; Hymeneus ad aras.
Hymen o Hymenae veni: quid gaudia differs?*

*Cernitis vt thalamum varia cinxere coronâ
Innupta iuuenes? meditata vt iungere curant
Carmina? nō temerè est: manibus per mutua nexis
Corda pauor pulsat, laudumq; immensa cupido.
Dicere iam cupient; iam respondere decebit,
Hymen o hymenae veni: quid gaudia differs?*

*Hespere, quis caelo tecum certauerit ignis?
Fœdera qui firmas, qua constituere parentes
Nec fecere prius, quàm se tuus obtulit ardor.
Tu nosti natam gremio diuellerem matris
Herentem, cupidoq; viro donare cupitam.
Te vigilante polo, dispersi murice plumas
Profiliunt Ethon Pyroisq;, & melle sagittas
Imbutas tendunt, petit hic nuptam, ille maritum,
Vt pariter fixis degustent tela medullis.
Hymen o Hymenae veni: quid gaudia differs?*

*Hespere, quod splendet caelo iucundius astrum,
Quàm lux coniugij in terris, qua scilicet omnes
Irradiat mentis tenebras, soluitq; timorum
Nubila: vt ingenij redeat genijq; voluptas,
Nec desit medicina malo, solamen, acerbis,
Auxilium miseris, tadas exosa iugales*

A 2

Et

*Si monstro thalamum permiscuit Eumenis atro.
Hymen, ô Hymenæe veni: quid gaudia differs?*

*Hesperus ex horto Nympharum transtulit unum
Iam florem, & thalami felicibus inserit aruis.
Quàm iuvat & volup³ est? ergo sub Coniugis umbra
Accipiet vires, & flore intendet amæno
Circuitum mensæ, veluti se subijcit altas
Ad frondes nemorum tumefacta cucurbita ventre.
Cresce age virginei flos illibate pudoris,
Cresce age: turgidulos digitis quid tingis ocellos
Virgo? crede modo, quæ nunc horrescis, amabis,
Dulcis amaricis amor est. qui talia nescit,
Ille rosam spinis vallatam carpere nescit
Nec mel Dadaleum, fronti si parcat, habebit.
Hymen ô Hymenæe veni: quid gaudia differs?*

*Vt laurus lauro, palmesq³ ut palmitè gaudet,
Vt platani platanis, alioq³ assibilat aluus:
Sic iuuenis iuuenem delectet amore maritam,
Atq³ parem ducat virtute, etate, decore,
At vctulam miles Veneris veteranus habebit,
Vt mortem arridens teneat complexibus arctis.
Abpereat quicunq³ rosas contaminat inter
Herbam quæ Phæbo dudum defloruit ietâ,
Aut sterili platano iuucnili ex arbore germen
Includit. nec enim ramis felicibus arbor
Surget, nec letis ditabit fructibus annum.
Hymen ô hymenæe veni: quid gaudia differs?*

*At tibi, SPONSA, venit iuuenalis gloriæ in ipsis
Carceribus iuuenis, quem nec ventura silcbunt*

Lustra,

Lustra, nec ignota retinebit nube vetustas
Fortia facta patrum, primaq; ab origine gentem
Prelustrem, quã nunc SPONSVS virtutibus auget,
Pierio pollens studio, prudentia forti
Conuenit, ingenio robur, vis viuida cordi
O digno neçtenda viro: non flamina nautis,
Non sic virginibus flores optantur, & imbres
Fructibus, optetur tibi ut hic celeberrimus Heros,
Hymen o Hymenæe veni, quid gaudia differs?

At tibi, SPONSE, para pedicas, & retia tende
Serica Cyprigena: videntur ut circumuolat ædes
Alba columba tuas? in gyrum ut circinat auras?
Vertere quã cupit huc pennis, illucq; reuerti?
Eia age quid dubitas? nunc nunc impensius urge,
Asta, offunde cibos, illa illa en commouet alas:
Iam venit, adsuescitq; cibo, quã dulcis oberrat?
Quã facies pulcra est? quã miscet iusta pudorem
Temperies. non labra rose, non lumina flammæ,
Non crines aurum, non equant colla pruina?
Rumpe moras. hæc Sponsa tua est. firmissima iam nunc
Contrahe vincla, tua est, pauitatem & abire parantem
In thalami nidum deduc, repetitaq; iunge
Oscula, namq; tibi cæli indulgentia dono
Hanc prædam dedit, & voluit gens mollis Amorum,
Hymen o Hymenæe veni, quid gaudia differs?

Iamq; nouam Nuptam varia sub imagine primus
Deludet somnus, namq; acclinata marito
Omnia sub pedibus ridere, & prata putabit
Aurea. iam stellata rosis iamq; alba ligustris

Vngue metet flores: nunc gratum munus amanti
Mala leget mellita, & eryngion utile nuptis,
Cuius flore Phaon & noto germinis usu
Dulcia promeruit Permessidos oscula Sapphus.
Tu verò interea dic, S P O N S E, ab origine prima
Cypridos insidias: nam te sub mollia dudum
Ducere non potuit signa, aut te vincere Nymphae,
Sic aderit votis in se teres atq; rotunda
Prosperitas, serotq; torum Concordia cinget.
Dicemusq; Hymenae Hymen, ades ô Hymenae.
Hymen ô Hymenae veni, quid gaudia differs?

Conticuere omnes thalamo tum SPONSVS ab alto
Incipit, & faciles oculos fert omnia circum.
Imperium in faciles facile est: & digna relatu
Queritis, innupta iuuenes: fors tangit amore
Vos etiam Cytherea potens. quid plurimus ignem
Suffundit pudor, & currit calefacta per ora?
Quod si tantus amor menti, sit tanta cupido,
Et breuiter Veneris delectat noscere mores,
Incipiam. Tenuit nostram admiratio mentem
Dudum, quare homines tam proni ad foedera lecti
In Venerem & flammis ruerent, stultumq; putavi
Nostra maritali submittere colla capistro.
Quin potius graue Martis opus, quater oppida bello,
Flectere equos gyro, canibus circumdare saltus,
Aut mores hominum atq; vrbes lustrare placebat.
Risit Amor, sit, ait, qua nostra potentia, nescis?
Et tres quod species belli, tria castra parentur?
Prima locat Mauors, & magnas territat vrbes,

Cultoresq;

Cultoresq; suos longis mucronibus armat,
 Altera castra locat Tritonia virgo, suosq;
 Assedas iaculis & duris retibus armat.
 Tertia castra locant Charites, Venus, atq; Cupido,
 Et iuvenes verbis, donis, & questibus armant,
 Dimissus primis, dimissus & inde secundis,
 In mea castra rues, Dixit, telumq; pharetra
 Depromens fixit traiecta per ossa medullas.
 Non aliter stupui, quam tactus fulminis ala
 Heret, & est dubius, num vita an morte fruatur.
 Quid facerem? placidam non membris cura quietem
 Permittit: tacitoq; recens sub pectore flamma
 Viuit, & ante oculos volitant sub imagine pulcra
 Nympharum facies. non iam mihi spicula cura,
 Non venator equus: tantum mens omnis oberrat
 In vultus quos finxit amor. mollissima fingo
 Iam verba: atq; iocos meditor, nomenq; puella
 Sape manus scribunt iniussa, & basia posco.
 Tandem alternanti potior sententia visa est,
 Cedere Cyprigenae, ac mentem submittere tada:
 Nec mora, quadrupedem ferrata calce fatigo:
 Ad sanctam ire iuuat Venerem: tendoq; supinas
 Ad caelum cum voce manus, & munera libo
 Intemerata, meum ut fortunent Numina caeptum
 Praestat enim thalamum casta conscendere mente,
 Pascere quam vulnus, membrisq; adspargere virus
 Impurum, vita sine connubialis amore.
 Nauita sic placidum sperat contingere portum:
 Si tamen obhuciat sese Euris & improba surgat
 Tempestas, tentat validis insurgere remis,

Obliquatq;

Obliquat q̄, sinum in ventos, & vota relinquens
Vertit iter, quocunq; Eurus fortuna q̄, poscit.

Orbe stat in medio, prensat q̄, cacumine nubes
Mons, & despectat triplicis consinia terra.
Hunc nec laedit hyems, nec hiulca tonitrua findunt,
Exulat hinc Caurus: patet indulgentia veris
Perpetui: & Zephyrus madidantes concutit alas
Nectare, fecundo glebas dum rore maritat:
LVXVRIAE VENERI q̄, vacat, penetralia magna
Hic matris surgunt varijs distincta metallis.
Umbrosum q̄, nemus, quod circuit aurea sepes,
Adsuetas pascit volucres: admittitur ales
Nulla, probat Diuâ quæ non sub iudice cantus:
Quæ vincit, ramis regnat: quæ victa, remigrat.
Hic fontes gemini raucum per leuia murmur
Saxa cient, operum diuersorum, alter amarus,
Alter dulciculus: facit hic fugat ille calores.
Pennati passim pueri librantur in ulmos,
Flammeaq; intendunt lasciuus spicula Faunis,
Pars cupidas vexant Dryades, pars roscida carpunt
Mala: alij nidos auium scrutantur amatos.
Hi plebem feriunt: Nymphae hos genuere: Cupido
Sed tantum heroas igne vrit & heroinas.

Huc simulac veni, mentem per singula voluo,
Atq; locis capior, dubitans ne fallat euntem
Me via: nam partes mox se sindebat in ambas.
Dextera Cyprigenam ad castam: sed laua vagantium
Exercet flammæ, & ad atra incendia mittit.
Cedo hinc, & montem, tenuis qua semita ducit

Ascensu

Ascensu supero, non ocia marcida luxu,
Non distortus amor, non Desidia, improba Siren,
Flexerunt animum, variarum aut monstra serarum
Hamis Inuidia potuere intexere pectus.

Panditur interea foribus domus alta reductis,
Extemplo apparet templum, quod numine diua
Augustum celsa Veneris defendit & arma.
Ingredior, fundoq; preces has pectore ab imo:
Da proprium Venus alma torum, da dulcia Nymphæ
Oscula: mansurum da nomen dulce parentis.
Quam sequar? aut quò me ire iubes? ubi ponere vota?
Da Nympham facilem, nostroq; allabere capto.
Vix ea fatus eram, nostro diuinitus ignem
Pectore versat amor castus, spondetq; Hymenæum
Hesperus, & partes assensu complet Eous.

Illam forte die gremio successerat antri
Diva Venus, varios includens pixidi amores,
Quos iam per terras post intractabile cælum
Spargeret, ac pecudes volucresq; in amore nouaret.
Ipse Cupido suas subigebat cote sagittas,
Filaq; ducebant famula, triplexq; vicissim
Rete sub umbrosa necebat Gratia quercu.
Vt me conspexit venientem Cypris, adesto
Huc, ait, accipias ut præmia digna laborum.
Excute pallorem: dabitur tibi, IANÆ, quod optas:
Selige quam cupias. Stabant longo ordine Nymphæ,
Vt vidi: ut periq;: ut me leuis abstulit ardor!
Mentem incertabat numerus. video igne micantes
Sideribus similes oculos: iamq; illa placebat,

B

Multifidos

Multifidos crines quæ conglomerabat in orbes,
Mox quæ purpureos gemma necētebat amictus,
Mox quæ docta choro verrebat cyclade terram.
Dum dubito, vocitat Venus ex aequalibus ANNAM,
Quæ mihi lux mentis, mel fellis, cordis erit sal.
Astitit haut aliter quam cum sub matre virenti
Laurus parua, comas quæ iam promittit & umbras,
Aut gemina Pæstana rosæ cum iugera spectant,
Hæc saturata die largo, clauso altera nodo
Nondum firma suis folijs admittere Phæbum,
Hanc mihi dat solam hanc, inquit, præq; omnibus vnâ
Elcgi tibi sic voluit Rex magnus Olympi.
Hanc sume. ut faciat te pulcra prole parentem.
Par bene compositum: titulis domus utraq; fata est,
Crescit nobilitas, Sponsæ genus æthera pulsat,
Nullaq; BROSIACVM splendorem obliterat ætas.
Quid Pater? insignis pariter pietate vel armis
Per sua facta auget famam, Quernfurdia iactat
Quem vice Mauortis, dictisq; accommodat aures.
Dum regit imperium Præfectus & Urbis & arcis.
Viuite concordēs, liuescant brachia nexu,
Labra ligent animos, & nostrum discite munus.
Sic Diua. adplaudit geniale examen amorum,
Nec cessant pluuiæ florem dispergere ritu;
Purpureoq; nouam nuptam perfundere nimbo.
Accepi, acceptam seruabo, & nemo resoluet
Coniugij nostri, nisi Mors inimica, carinam.

Post hinc digressus, Iuuenes in valle reducta
Inuenio, admirans numerum Pæana canentem.

Tum:

Tum Venus. hic. nullo constricta Licentia nodo,
Iocundus Risus regnant vinoq, madentes
Excubia, & faciles ira, & peritura voluptas,
Quam circum leuibus volitant periuria pennis,
Atq, Ioci, & caeco praeceps Audacia vultu.
Hac equidem memorare tibi atq, ostendere coram
Iam volui, ut thalamo tandem laterc reperto.
Sunt multi, qui non precibus tentare fauorem
Numinis, aut casta cupiunt mansuescere flamma,
Sed quocunq, rapit mentem imperiosa libido
Præcipites currunt: non illos gloria fama
Sollicitat, temnunt quæ mox ventura trahuntur.
Ergo exercentur pænis. primùm improba ducit
Desidia, ac mentes dictis somnoq, titillat.
Inde vagas adeunt Veneres, & tecta frequentant
Luxuria, per tota nouem quæ iugera corpus
Expandens saccos plenos exenterat auro.
Hic genio indulgent, laxantq, tumentia fastum
Pectora, ut innatis caprificus frondibus ariet.
Spernuntur Nymphae, casti spernuntur amores,
Ergasylus ac Satyri thalamum quia dente venenant.
Filia sola placet Solis. iam pocula Circes
Sorbillant, donec pando occalescere rostro
Incipiunt ora, & setis horrescere corpus.
O fugite hinc, Iuuenes. nimirum hæc illa Charybdis
Hi Scyllæ scopuli: quos si quis tangit adherens,
Frangit nauiculam: & tales mittuntur in amplos
Lugentium campos, vero sic nomine dicunt.
Hic quos durus amor crudeli tabe percidit,
Quos iuuat genium sacri contemnere fulcri,

Quas multi iuuenes, multi optauere mariti,
Sed nulli iuuenes nulli accepere mariti,
Secreti celant valles. non cura recedit
Insomnis, quam nunc thalamis succedere vellent,
Demere quam vellent fastu, & corradere nummos,
Fata Venusq; obstant, nec gratos spirat odores
Flos que maturo non tempore carpitur ungue.
Talia ne qua pijs Iuuenes patiantur, honestus
Est medicamen Amor. non occurrentia flectent
Monstra illum, quem casta Venus, sedata libido,
Et Charitum triga in thalamum cum virgine ducunt,
Coniux, siue dies sit nubila, siue serena,
Laticiam capit, ac sinuoso pectore figit
Ambrosia tinctam vocem curasq; leuantem,
Crescite, per totamq; genus diffundite terra.

Verum age carpe vias. mea si non dicta putabis
Irrita, te genialis Hymen, cum surget Eo
Quarta dies Marty, Sponsi decorabit honore.
Sic Dea, & egressum sacro me monte remittit.
Hec erat illa dies, hac me iucunda manebat
Auspicium factura tori vitæq; iugalis.
Quare agite o Iuuenes, tantarum in munera laudum,
Cingite fronde comas, date vota, incendite thura,
Communemq; vocate Deum, castumq; Hymenæum,
Hec Sponsus. factoque hic tandem sine quieuit.

Interea renouant clangorem impulsa per ades
Timpana, & assensu conspirat buccina rauco.
Dona ferunt famuli mensis accepta secundis,
Crateras statuunt grauidos, Bacchumq; coronant.

Incedunt.

Incedunt Nympha, pueriq; ante ora parentum,
 Et donis cumulans quae cuiq; est copia, Sponsos.
 Ingens argentum caelatq; pocula in auro
 Apponunt, veri monumentum & pignus amoris.
 Tum studijs fremituq; virum plausuq; fauentium
 Tota domus resonat, vocemq; per ampla volutant
 Atria. crescentem vincunt funalia noctem.
 Ipse tenet pateram spumantem, ipse impiger haurit
 Increpitans Bitias, pleno & se proluit auro.
 Post alij proceres. septem discrimina vocum
 Temperat articulis testudine clarus Iopas,
 Et canit ad numeros. docuit quae Legifer heros,
 Vnde hominum genus & pecudes, quis foedera primus
 Instituit thalami, & scelus exitiale parentis
 Primi, cur lolium dominetur crebrius aruis,
 Surgere quod terris iubet ultio pro narcisso:
 Munera quis Sponsis tulerit Galilaeidos aruis,
 Pocula dum largis Achelonia temperat vuis.
 Ingeminant plausum Iuuenes, pedibusq; choreas
 Instituunt, haeret pede pes, inueniq; puella
 Miscetur, cursus ineunt aliosq; recursus
 Ad placitum cythara, longo nunc ordine pergunt,
 Nunc gyros texunt, remoranturq; orbibus orbes.
 Parte alia Baccho solcmnes ducere pompas
 Flos iuuenum parat, & frondentes sumere thyrsos
 Est labor, ac faciem variã vestire figurã,
 Intexuntq; iocos nutu, linguamq; coercent,
 Vt lusu vario possint traducere noctem.
 Ast alibi in caetum coeunt, & flammea torquent
 Tela, volans liquidis in nubibus ardet arundo.

*Iam draco signat iter flammis, iam plurimus ignem
Cum fremitu obstantes siso ei aculatur in auras
Terribili sonitu, pulsu quo protinus unda
Contremit, & matres ducunt ad pectora natos.*

*Nox ruit interea, suadent q̄ cadentia somnos
Sidera tunc tacita per amica silentia Luna
Infert se genialis Hymen. Date munera plenis,
Innuptæ, calathis, cultori assurgite vestro.
Linquite iam thalamum: nec enim spectanda dat omni
Hic sua sacra Deus, geniales claudite postes.
Vos etiam, iustum cum mouerit alea tempus
Fortuna, ad thalamum magna inter gaudia duces.*

F I N I S,







Nov 1996

8

ULB Halle 3
002 063 808



nicht aufg., da unvollst. u.
nicht zu ermitteln!

28 a / 50 1996 |

VB 17

M





46.51

SACRUM
Illibato Hymenæo, sanctæ Iugæ,
& Diæ Cinxie.

*In solemnitatem Nuptiarum,
Novis Sponsis*

PRIMARIA GE-
NERIS NOBILITATE, VIR-
TUTVMQVE LAVDE FLOREN-
tissimo viro CHRISTOPHORO IANO
à TAUBENHEIM in Bedra,

ET

NOBILISSIMÆ LECTISSI-
MÆ QVE VIRGINI ANNAE, NOBILISS.
& clarissimi, multarumq; rerum experientia fortissimi viri HENNINGI
à BROSIK in Kitzschir & Ludersberg, Electoral: in Leinin
& Quernsurd præfecti, dilectæ filie,

Positum & dedicatum
à

CHRISTIANO PODENSTEIN
Schnebergensi IV. Non Marti, Anno

M. D. XCIII,



LIPSIÆ
Ex Officina Typographica
Iohannis Beyeri,

